D. D.

Hiſtoriola Litteraria

POËTARUM SVECANORUM.

Cujus

Partem Primam,

Moderante

MAG. CAROLO AURIVILLIO,

Poëſeos Prof. Reg. & Ord. S. R. S. M.
In Regia Academia Upſalienſi,
Et Auditor. Carol. Maj.
d. 26. Maji 1764.
Pro Laurea Exhibet

Johannes Henricus Lidén.
Linkopia O-Gothus.

Upſaliæ.

Digitized by Google

VA1 1506962

Auctori.

Svecia DALINUM raptum queritur ſibi vatem;
Delicias Arctosque ſuas hoc perdidit uno
Ingentes, & Apollo novos ſibi quærat Amores.
Lumina Tu veterum revocas umbrisque parentas,
Ne ruat, ut ſilet, id Templum, exhortaris, Amice.
Promitur inde Tibi, Myſtis plaudentibus, æqua
Merces, Pieridumque operi quæ competit acto
Concilio cœptum, peragis quem viribus, ornas
Denique perfectum, Triade en! ſacrumque laborem.
Parnaſſi Salici penetras penetralia, Templi
Libere utut, vigilans ferventi pectore ſacris.
Alma Tibi Laurus cedat, comitentur honores!
Luminibus Divis, quæ nutrit & enthea Pallas,
Terque quaterque novis Arcanis macte recluſis !!!!

Stockholm.
d. 14. April. 1764.

CAR. FRED. AB ECKLEFF.

Digitized by Google

Till Auctorn.

J Momer, ſom Er galla ſpillen
På vittra Skalder, hår hos oſs;
Sen nu, ert leda agg till troſſ,
En vacker hop af Nordens ſnillen!
Er ifver år ej mycket vård;
Ty deſſe Hjåltars vundna krantſar
Ha ſamma kraft, ſom hjelm och pantſar:
Hår brytes ſpetſen af Ert ſvård.

Att allt ſitt vett med ovett ſkyla,
År blotta en fórlorad ſak;
Men Yfverborne ha ock ſmak,
Och ſjålen lider ingen kyla.
Att tånka ådelt, quickt och rent;
Faſt Bore kring i luften raſar,
Och fyller allt med ſtelna klaſar,
År Svenſka ſnillet ej fórment.

På deſſa bladen ſer jag mycket,
Som ſmakar af Maroners ſalt:
Hår finnas blommor ófver allt,
Som pryda detta måſterſtycket.
Med ſkål man priſar ett Athen,
Man vórdar Rom, ſom en Gudinna:
Hår ſer jag Sverget åfven vinna
Fórtjånte Lagrar af Lidén.

Till Foſterlandets lof och heder
Du med en witter ſnilledrift
Har teknat i en nyttig ſkrift
De namn, ſom lyſa uti Ceder.
Så långe Norden alſtrar wett,
Och Svenſke ſkaldeådran flyter,
Min Wån, Dig ingen åra tryter,
Som Dygd och Snille Dig beredt.

JAC. ISR. KOHLER.

Google

Candidato Amiciſſimo.

Nectar ut Hyblæum valido medicamine mixtum
Exhilarat cunctos usque ſapore ſuo:
Sic quoque Pieridum ſtudiis eſt blanda poteſtas,
Seria quæ facili temperat arte jocis.
Ter felix igitur, cui maturatus Apollo
Pocula Caſtaliæ plena miniſtrat aquæ.
Muſis namque bonis ducibus qui carmina fundit,
Devincit meritis ſæcula longa ſibi.
Sedes Caſtalidum cum Terra Pelaſga vocatur,
Smyrnæi vatis gloria ſemper erit.
Mantua luxuriat donec fragrantibus arvis,
Laudabit magni grata Maronis opus.
Scandia, ſubjectam quamvis fera Parrhaſis urget,
Ingeniis caruit non tamen alma ſuis.
Perlege, quæ grandi ſonuerunt pectine Noſtri
Vates, & videas carmina digna cedro.
Parta igitur fas eſt ut fama perennet in orbe,
Nec meritas laudes deroget ulla dies.
Res equidem pia: ſed tantis quis ſufficit auſis?
Sarcina non cuivis hæc ſatis apta ſedet.
Sufficis aſt, Lidene, *operi: Tibi ſufficit ardor.*
Te tulit a teneris Pallas amica ſinu.
Dum calamos inflas, ad motum os dulce miniſtrat
Carmina mellitis æquiparanda favis.
Ergo tuis ſtudiis Vatum, quos protulit Arctos,
Fata reviviſcent, gloria perpes erit.
Dum functis vitam lucem reddisque tenebris,
Laudibus hoc pacto conſulis Ipſe Tuis.
Certatim Muſæ nectunt Tibi Laurea ſerta,
Præmia pro meritis æquus Apollo dabit.

Aboæ.
XVII. Calend. Maji. MDCCLXIV. ANDREAS BERGMARK.

Digitized by Google

Οὐδὲν ἐν ἀνθρώποισι διακριδόν ἐστι νόημα.
Ἀλλ' ὃ σὺ θαυμάζεις, τοῦθ' ἑτέροισι γέλως.

Lucian.

L. B. S.

Queſti ſæpius multi ſunt, borealium ingeniorum tam parcam, tamque iniquam interdum ab exteris fieri mentionem, ac ſi nulla ſeptentrionales plagæ aluiſſent aut adhuc alerent, quibus magnopere glorietur Poëſis, verumque adeo de Suiogothia eſſet, quod de propinqua Germania cecinit quondam Aprutienſis Epiſcopus: a)

Nec faciles hederas, nec opacas frigida laurus
Terra gerit.

quum tamen, ut facundiſſimus apud nos Vates ſuo ipſius exemplo comprobat,

noſtro ſalit & ſub pectore vena
Nec patrio torpent corda revincta gelu.

Fatendum quidem, ut in gentibus ceteris, ſic in noſtra quoque, raros omni tempore fuiſſe, qui ultra verſificatorum jejunum gregem pulcrioribus ſeſe auſis extulerint. Attamen habuit Svecia non numquam, qui nobiliori præditi vena, natura duce & arte, arridentibus

A

a) Campanus. Epiſt. p. 333.

tibus adeo Gratiis ſunt modulati, ut debitum eximiis Poëtis honorem, ſummo illis vindicari jure, oporteat. STIERNHIELMIORUM, COLUMBORUM, WEXIONIORUM, RUDENORUM, LAGERLÖFIORUM, SPEGELIORUM, GYLLENBORGIORUM, VON DALINORUM *nomina Apollini gratiſſima, plura jam ut taceam, quis ignorat? Horum vero vitas perſequi & ſcripta carmina, quum jucundum videbatur mihi nec inutile, præſertim quod* Nobiliſſimi Axelſſonii *diſſertatione excepta, alia ſcriptione nulla Patriæ Poëſeos fata cognoverim plenius expoſita, in mentem venit, adjungere etjam ceteros, qui maximis licet viris illis æquiparari minime poſſint, eamdem tamen artem tractarunt ita, ut quibus veluti auctibus adoleverit, quibuscum nævis conflictata ſit, quas ſæpe ſuperandas habuerit injurias, haud obſcure inde perſpiceretur. Nam & hanc hiſtoriæ humani ingenii particulam fructum laturam eum ſperare liceat, quem in artibus reliquis, ex conſideratione fugiendorum vitiorum, & accuratiori cognitione cauſſarum, e quibus illa exſtiterint, polliceri ſibi non immerito ſapientes ſolent. Intendi igitur, quoad licuit, ſtudium, nec ulli peperci diligentiæ, qua collectanea inſtruerem, e quibus, qualiscumque inſtar ſpeciminis, quia brevis nunc eſſe cogor, unum modo alterumque Poëtam adducam, ſervatis ceteris in aliam, quæ ſe poſthac, Volente Deo, obtulerit occaſionem. Poſtulat autem grati animi officium, Nobiliſſimorum & laudatiſſimorum indicare nomina Virorum, quorum favori tam multa debeo,*

beo, ut niſi tuliſſent opem, poſt primos dudum paſſus fuiſſet mihi ſubſiſtendum. TILASIOS *loquor*, STIERNMANNOS, CELSIOS *&* ECKLEFFIOS, *quorum, cum in hoc negotio, tum antea ſæpe, benigniſſime mihi impertitam indulgentiam, venerabundus agnoſco, ſemperque agnoſcam. Tu vero B. L. quæ adhuc imperfecta, ſuisque quaſi trunca vides numeris, tenuem ſcilicet juvenilis induſtriæ conatum, æqui conſule; nec penitus ridiculum arbitreris, excuſare culpam, qua quis facile vacare potuit. b) Excuſationem forſan promerebit pertinax & ut ingenue dicam, moleſta ſedulitas evolvendi, præter alia bene multa, etjam XIX juſtæ magnitudinis volumina, quæ* Bibliographiæ Svio Gothicæ *nomine, a* Palmſköldiis *collecta, ſervat Bibliotheca publica. Ac ſi* Meſſenii, Braſkii, Beronii *& ſimilium in carminibus, nil forſan inveneris, quod magnopere placere poſſit; dabis tamen hanc veniam antiquitati, ut patienter ſcriptorum, quos illa tulit, ſimplicitatem feramus, memores, niſi illi præceſſiſſent, maxima, quæ deinde eminuerunt ingenia, vix forſan fuiſſe ſecutura.*

---

b) Gellius. L. XI. c. 8.

Digitized by Google

§. I.

Sedet nonnullorum animis nimium fixa opinio, qua generoſos olim Arctoi orbis incolas, qui per univerſam fere Europam victricia circumtulerunt arma, ſpretis literarum ſtudiis, nihil niſi ſangvinem, cædesque ſpiraſſe exiſtimant. In deliciis, dicunt, unice fuiſſe

Horrida Mavortis tractare ferociter arma,
Hoſtilique ſuam temerare in ſangvine dextram,
Et ſibi pugnando immortale acquirere nomen.

Sunt haud dubie inermes Muſæ & numquam licet ſegnes, numquam deſides, ſed vividæ ſemper & alacres, bellicos tamen tumultus, publicæ felicitati non raro exitiales, reformidant & quoad licuerit devitant. Itaque mirum haudquaquam foret, ſi Mavortia gens, armis, piraticis, irruptionibus & migrationibus occupatiſſima, literarum culturæ haud multum tribuiſſet temporis. Annalium tamen, exoticorum pariter ac domeſticorum, conſtat teſtimoniis, adeo rudes & ab omni diſciplinarum genere alienos non fuiſſe veteris Scandiæ incolas, ac cenſuerint multi, qui famam potius ſecuti deprehenduntur, quam certioris præſcriptum hiſtoriæ. *c*) Ut enim taceam elementa ſaltem plurium ſcientiarum inter illos viguiſſe *d*), in Poëticam certe quo ferebantur amor, inge-

---

c) Scythis enim, non ut cæteris Barbaris, rudis & inconditus ſenſus eſt: quidam eorum ſapientiam capere dicuntur, quantamcunque gens capit ſemper armata. *Curt.* Lib. 7. c. 8. Cfr. *Jornand.* de Reb. Get. c. 11. & *Bartholin.* Ant. Danic. L. I. c. 10. it. *Verelii* Runograph. Scand. C. 3. p. 14. Ejusd. Diſſert. de Fanin. p. 31. *Celſus* ap. Originem L. I. p. 14. Memorabilis præterea locus & inſigne teſtimonium *Herodoti* IV. p. 271. C. Οʹ δὲ πόντος ὁ Ευξεινος χωρέων πατέων παρέχεται, ἔξω τȣ̃ Σκυθικȣ̃, ἔθνεα ἀμαθέςατα.

d) Cfr. Mozelii Diſp. de Philoſophia Veterum Svio-Goth. Upſ. 1755.

ingenium non defuiſſe ſatis ſuperque teſtatur. Eſt autem res ardua ſane, illius originem artis in gente tam vetuſta tradere; diſſentientibus Hiſtoricis & antiquitatum ſcriptoribus. Ne iſta quidem qui ignorant ſæcula, e quibus nihil tamen, quod ad noſtram attinet patriam, monimentorum adhuc ſupereſt, non multo poſt cataclyſmum, Poëſin cum Othino, antiquiore illo, ex Oriente huc migraſſe perhibent *e*). Quod neque temere ſequi, neque refellere in animo eſt: ex ingenio ſuo quisque demat, vel addat fidem *f*). Illud certum videtur, SKALDOS, quorum tam crebra apud ſcriptores occurrit mentio, ſeptemtrionalium gentium fuiſſe Poëtas pariter & Hiſtoricos, maxime adamatos *g*). Horum ſumma dignitas & apud Reges gratia *h*), ut ſecundum etjam ab illis locum tenerent, prætertim qvum & ſangvinis interdum nexu aut affinitatis vinculo iisdem conjuncti memorentur *i*). Mandatum erat officium, Regum Heroumque, quos ubique comitabantur, bello res geſtas, virtutemque cantu in conviviis celebrare. Antiquiſſimus, cujus mentionem faciunt Hiſtorici, STARKOTERUS ſenior, quem circiter V:o poſt Chriſtum ſæculo vixiſſe adfirmat Nobiliſſ. v. Dalin *k*). Poſt id tempus, longam ſeriem ſkaldorum ſiſtit *Sturlonides*, *l*) ipſe hujus

 artis

e) Cfr. Rudbeckii Atlanticam, paſſim. *f*) Tacit. *Germ*. c. 3.

g) Scaldorum unum & antiquiſſimum annalium genus fuiſſe, teſtatur *Tacitus* L. de Germ. c. 2. & *Jornandes*, priſcis carminibus, hiſtorico pene ritu ſua recoluiſſe, dicit. *de Reb. Get.*

h) Reges quoque ipſos, ad hoc honeſtæ recreationis diverticulum aliquando ſe demiſiſſe, ſcaldicamque exercuiſſe artem novimus. Eminet certe Carmen *Ragneri Lodbrogi*, quod cantionis inſtar Cygneæ, morti jam vicinus, viperarum inter morſus, ceciniſſe fertur. *Loccenii* Antiquit. Svio-G. C. XV. p. m. 90.

i) Torf. Ser. Reg. Dan. L. I. c. 6. p. m. 53.

k) Inledning till Vitterhets Acad. Handl. p. 19.

l) Heims kringla; ſub finem.

artis non ignarus. Qualis vero horum fuerit Poëſis, difficulter jam ſtatuitur, qvum in deſvetudinem fere abierit lingva, paucaque admodum & ſæpius mutila, poëmatum ſuperſint fragmenta. Aſſeverant tamen Viri vetuſtiorum literarum periti, ſumma arte ab illis efficta carmina, ſua non caruiſſe venuſtate. Erat ſcilicet ſtylus ſkaldorum magnificus tropis & ſchematibus rhetoricis plenus, gryphis item & ænigmatibus, Gordii nodo haud diſſimilibus, tum fecundus fabulis & miris prodigiis *m*). Etenim ut apud Orientales gentes non ſimpliciter ſenſa animi exprimere glorioſum putabatur, ita quoque noſtri obſcuritatem interdum, velut certiſſimum profundæ eruditionis documentum, ſectabantur *n*). A rhythmorum vero conſtitutione, quantitate verſuum, literarum & ſyllabarum harmonia & concentu non abfuiſſe veneres teſtatur *Magnus Olai* *o*): in veteri poëſi, inquit, tot & tam eleganter ſibi invicem reſpondentes literarum, ſyllabarum & dictionum conſonantiæ, ut audientes mire afficiantur & delectentur; habuit quippe Poëſis illorum tot ſibi peculiares orationis floſculos, figuratas formulas, adpellationes rerum diverſas, ab antiquis fabulis venuſte, varie, obſcure, deductas, ut eam nulli vulgarium omnium lingvarum, & arte, & effectu, inferiorem eſſe credere oporteat.

§. II.

Obmuteſcentibus paulatim Skaldis, omnis fere eruditio,

---

m) Cfr. omnino quæ in Diſſert. Clar. M. Lönbohm, de Poëſi Svecana Antiqua & Hodierna, Upſ. 1734. p. 30. monuit Magnus in Helicone noſtro Polyhiſtor, Nobiliſſ. R. C. C. & F. IHRE.

n) v. Salani Not. ad Egilli & Asmundi Hiſtoriam. p. 97.

o) In Diſcurſu de Poëſi Septentrionali, apud Worm. Lit. Run. p. 192. Cfr. præterea, ſi placet, Hiſtor. Hervoræ C. XV. & not. b. Verelii. it. v. Dalin. Hiſt. R. S. T. I. C. 8. §. 9. 10. it. Diſſert. de Poëſi Skaldorum. N. Wetterſten. Upſ. 1717.

ditio, monachorum incluſa tenebatur repagulis & ineptiis, ita ut extremum quaſi ſpiritum duxerit Poëſis noſtra, dum non niſi miſerandi componebantur rhythmi, nulla fere alia arte, quam ut ὁμοιοτελεύτων aliquatenus haberetur ratio. Reſtat adhuc illorum ſæculorum poetica quædam ſpecimina, e quibus indicaſſe ſufficiat *Chronica Rhythmica p)*, & *Alexandri Magni Hiſtoriam q)*, qvum vel ſola illa mox oſtenderint, plane licet non exularent Muſæ, ita tamen horridas & laceras, triſtesque adſpectu & inamœnas gemuiſſe, ut non niſi longiori interpoſita mora ad priſtinam dignitatem & elegantiam potuerint adſpirare.

§. III.

Lætam ſpem quidem melioris cultus dedit immortalis memoriæ Heros GUSTAVUS I. ſimulac oppreſſæ Patriæ cervicibus Chriſtierni II. jugum æque ac Romanæ tyrannidis opprobrium excuſſerat. Cura enim magni Principis, ut reliquæ artes, ita & Poëſis, novos ſumere ſpiritus viſa eſt, inque negatam jam diu libertatem reſtitui. Sed tamen, quæ dein ſequebantur, turbæ, præſertim qvum mixta adhuc peregrinitate lingva elegantiorum ſcientiarum luce deſtitueretur, impediebant, quo minus effingeretur quidpiam, quod poſteritati ſe pulcriori decore commendaret. Multis forſan ingenium non defuit, ſed quod genio implicitum ſæculi evolare altius nequidquam laboraſſet. Laudandi interea illuſtres fratres, purioris apud nos Religionis vindices acerrimi, *Laurentius* & *Olaus Petri r)* Neri-

p) Ab Hadorphio 1674 edita. Agnoſcunt Anonymos, & diverſos quidem, auctores, de quibus legi poteſt præfatio illis præmiſſa.

q) Rhythmis Svecicis, ad nutum *Boo Joniſon*, Drotſeti Regni Sveciæ, ab Anonymo conſcripta, & e typographia Comitis Brahe, in Viſingiana inſula, 1672, edita.

r) Hic Auctor quoque eſt Carminum, quæ nulla anni, loci vel

Nericii, quorum hymni ſacri, ſpiritu & gratia pleniſſimi, non ſententiarum modo verborumque gravitate movent animos, ſed & ſvaviori interdum metro auribus blandiuntur. Qui ſequentibus dein temporibus, ad Stiernhielmium usque, poëſin coluerunt ſcriptis carminibus, enumerantur prope omnes in elegantiſſima Diſſertatione de Primordiis & Incrementis Poëſeos Svecanæ *s*).

Mihi

auctoris mentione facta, in 8:o prodierunt hæc inſcriptione: *Några wijſor eenfaldeliga utſatte för them ſom luſt haffva att qwädha eller höra om Anti-Christum och hans wäſende.* Scripſit quoque *Tobiæ Comœdiam*, Holmiæ 1550 & 1561 in 8:o item *Carmina de Paſſione & Reſurrectione Chriſti.* Holmiæ 1556. vid. Nobiliſſ. v. *Stiernman* Centuria 2 Anonymor. p. 5. & *Hallmanni* Vita Laurentii & Olai Petri p. 107. & 108.

s) Upſ. 1743. Paucos vel prætermiſſos, vel nominatos antum, ex *Scheſſeri*, *Stiernmannii* & *Palmſköldiorum* ſcriptis maxime depromtos heic adponam.

Anonymus qui Hiſtoriam Friderici Normandiæ Ducis, Rhythmis Svecanis reddidit a:o 1300. M:ſſ. in Archivo Antiqu. Cfr. Stiernmans Tal 1758, om Lärda Wetnſkapers tillſtånd i Sverige. p. 72.

Ivani & Gaviani Hiſtoria. a:o 1302. M:ſſ. ibid. l. c. p. 73.

Deſcriptio Allegorica Regiminis Alberti l. c.

Jocoſa ſimilitudo Regni SvioGothici, Regisque Alberti, ab antiquis compoſita. l. c.

Sæculo XIV prodiit Dialogus Animæ & Corporis in inferno. M:ſſ. ibid. l. c. p. 74.

Cruciatus S:ti Yriani. M:ſſ. ibid.

Sæculi XV Anonymus ſcripſit Epitomen Hiſtoriæ S:ti Olai, ab Hadorphio, Holm. 1675. in 8:o editam.

Henricus Tidemanni, Epiſcop. Linkop. Præſul, optime de ſua meritus eccleſia, obiit 1500; Cfr. Meſſenii Scond. Illuſtr. T. XV. p. 92. & Rhyzelii Biſk. Chr. p. 117.

Ille ſcripſit: 1:o *Gamle Rim om tucht, dygder, höfwiſkhet och ärligit umgängelſe, både med Gud och männiſkior.* 2:o Lärdom ſtäld i Rim om Boſkapshandel, them allom nyttig, ſom begynna vilja bohags Regemente; cujus tale initium:

Almechtig Gud med ſin nåd, vare med oſs i råd och dåd,
Alt ſåſom det var fordom, både med gärning och ordom &c.

Mihi vero, cui ſingulis inhærere ſollicitius jam non

3:o Rim öfver Sveriges Lag:
Reen läre och kyrkiones lähre, Gifver land nampn och thet förmere.
När hoot ſker efter bruttom, Då är rättviſan rikeſt i luttom. &c.
Finis: *Frid vari ſtält de Lagum och liga fallom*
Wari Gudh medh oſs allom.

4:o Hushålds Rim; ſub titulo: Biſkop Henrichs i Linköp. Rim.
Folket minnes och thet är funnet Sveriges Städer ofta brunnet,
The ſtå ännu i ſamma fora, Ty äre the rädde ſom endra hara &c.
Ad finem: *Jordabus och tegel tak, Wärja ofta för ſtoort omak.*
Palmſköldiana, ex Biblioth. El. Brenneri.

Jonas Petri Klint, Sacel. Epiſc. Linkop. Paſt. in Stenby 1567. Continuavit Chronicon Rhythmicum Epiſcoporum Linkopienſ. Scripſit & quædam de ſignis, quæ motus præceſſerunt Liturgicos, ut & de ipſis motibus. Subſcripſit in Concil. Upſal. 1593. Obiit d. 21. Oct. 1608. Cfr. *Wennerdahl de Wikia*. p. 47. Rhythmos quos ad finem Chronici Olai Petri adnotaverat Klintius, necdum, quod ſciam, editos, ex Palmſköldianis heic ſiſtam:

Ho thenna Chrönika efterfråga vill, Tå hörer hon mig Joen Petri Klint till,
En fattig Guds Ords tjänare förſand, Wid Stenby Förſamling emellan Wikeboland.
När man ſkref Guds Sons åhr 1567. Gud till åhra och männiſkiom till gagn ännu.
Jag intet längre härmed halar, Jag gaf för henne rätt fyra daler.
Jag hafver läſit henne rätt till ände, Annoterat med färga, figurer hvad ſom trängde
Kunde hon ſå blifva hos allom kändt, Att hon kunde komma på prent,
Så vore hon en Danſka chrönicon lijk, Ja, och bättre utſatt med allo flijt
Rättat och corrigerat thet villa', Intet mera inſkrifvet än thet man ken gilla.
Och ingen manders blifver mera häruthi ſpordt, Än then medh ſvenſka manna händer är giort
Och them lägges ingen mera åhra till, Än then Gudh hafver them gifvit med hårſkild.
Men then Danſka Crönikon drifver therpå fort, Tillegner Danſke mdu thet the intet hafva giort.
Men ther till var Meſter Olof för from, En Guds Ords man och predicant i Stockholm.
Som thenne Crönica hafver ſammanſatt, Thet rätteſte ſåſom han fick ſatt
Ifrån förſta Sveriges regiments tid, In till Högloflige Konung Göſtaf tog vidh
En mechta Götha Konung var han, ſom halp Sveriges Rike ifrån Dana hand.

Digitized by Google

cónceditur, e numeroſa cohorte, celebriores modo duos, adferre ſatis fuerit.

§. IV.

CAROLUS IX, Sveciæ quondam Rex ad exemplum Germanici, Cæſaris & Auguſti, in poëſi ipſe fuit verſatus, cujus rei varia adhuc extant monumenta. Etenim præter *Chronicon exhibens acta & res geſtas ſuæ vitæ*, cura Bergii editum Holmiæ 1759, etjam ſcripſit *Cantica & Rhythmos*, M:ſſ, in Archivo Regni. v. Stiernmanni Biblioth. SvioG. P. 2, p. 6. & Schefferi Svecia Liter. p. 53.

Auctor quoque eſt *Epicedii in obitum Comitis Caroli Sture*, cujus mentionem facit Nobiliſſ. v. Dalin. Witt. A. H. p. 29. *Anonymus* edidit Librum Pſalmorum reviſum, emendatum, auctumque Holmiæ 1601 in 8:o *St. B. S. p: 51.*

Verbo heic indicaſſe licebit primum, quantum novimus, Pſalmorum Libellum Svetice editum eſſe 1530 in 8:o ſub titulo: *Någre Gudelige viſor utdragne af then Helga Skrift, the ther tiena till att ſiungas i then Chriſteliga Förſamlingen*; continetque XVI. hymnos. Cfr., Sv. Mercur. Nov. 1756. p. 289.

Olaus Martini, ArchiEp. olim Upſal. ſcripſit *Tres Pſalmos*, poſt ipſius mortem 1609, Upſaliæ 1617 editos in 8:o Stiernm. l. c. p. 57. & Högmarck l. c. p. 187. Prolixum ſat ipſius Epitaphium M:ſſ. a Laurentio Birgeri Wermelando ſcriptum, in Palmſköldianis ſervatur.

Torſtenius Johannis R. Smalandius, edidit Pſalmos nonnullos Davidicos per cantiones 1602. in 8:o St. l. c. p. 69.

Anonymus, cujus nomen T. G. indicat titulus, edidit Hiſtoriam Regis Davidis, Holmiæ 1604 in 8:o St. p. 82.

Hiſtoria Joſephi, verſibus conſcripta ſveticis, ad modum Dramatis, Roſtochii prodiit 1609 in 8:o id. l. c.

Martin L. Aſchaneus, Regni quondam Antiquarius, (Häfdaſökiare patria lingua audit) & Antiſtes ſimul in Fredſtad.& Hammarby. Cfr. de illo Palmſköldiana & Thun, in Vita Erici Palmſköld, p. 65. præter allata ab Axelſſonio p. 30. poëtica opera, ſcripſit *Libellum Officiorum vitæque recte agendæ*, verſibus Sveticis, M:ſſ. item *Tabulam Menſalem* ſeu convivalem Seniorum, rhythmis Sveticis. M:ſſ. in Arch. Antiqu. *Stiernm.* p. 217. & *Scheffer.* p. 93.

Anonymus edidit Septem ſapientum Græciæ ſententias rhythmis Sveticis Lubecæ 1614 in 8:o *S. l. c. p.* 287.

Ægidius Aurelius Upſalienſis, Rector Sch. Upſ. Syndicus deinde Holmenſis, in Sveticum vertit Commentarium Nicolai Aretandri, in Pſalmos Pœnitentiales. Holm. 1620. qui denuo prodiit 1640. *variis cantilenis auctus*. S. l. c. p. 291.

Digitized by Google

§. IV.

Prægrediatur *JOHANNES MESSENIUS*, *Oſtro-*

Jonas Hambræus, Helſingus. Orient. Lingv. in Academia Pariſienſi Profeſſor, edidit Summaria in Evangelia, Roſtoch. 1617. in 24. ſub titulo: *Mikeſath Beſora* - - - - korteligen och eenfäldeligen uti tre Hebraiſka verſar och *Svenſka Rim* författat. St. p. 314. Scheff: p. 103, Cfr. de Hambræo Diſſertationes Petri Hambræi 1743 & 1749 ſub Præſid. Prof. Ekerman.

Jacobus Johannis Ulphinus, Stockholmienſis, edidit Gerhardi Meditationes, in Sveticum verſas - - - - facto quoque ex lemmatibus Gerhardinis diſticho, rhythmis incluſo. Holmiæ 1617. in 12:o Sch. p. 105 & Stiernm. p. 330.

Gabriel Andreæ Helſingius ſub legione Weſtro Norlandica V. D. M. ſcripſit: *Cauſſæ XII.* ob quas Deus hominibus immittat pœnas atque cruciatus, rhythmis Sveticis; Holmiæ 1619. & *Pandectas Miraculorum.* 1625. in 4:o.

Plurima horum ſcripta, propter raritatem ſummam, oculis ſe meis adhuc ſubduxerunt; Helſingii vero Opuſcula, alia inter, cum in Secretarii Regii v. *Eckleff* inſtructiſſima Bibliotheca, pervolvere licitum mihi fuit, unicum hinc adſcribam exemplum, qualis noſtri poëtica fuerit vena, melius ut conſtet. In pandectis Miraculorum, ſtatim ab initio, Verſifex noſter:

Nu vill man uti ſynnerhet Några undervärk med beſkedh;
Beſkrifva och uppräkna fort Hvilket ock ſkall blifva rätt kort. &c.

De aſino Bileami, p. 17.

När Bileam till Balack drog Och Åſninnan med ſtaffven ſlogh:
Tå öpnade Gud hennes mund At hon talte i ſamma ſtund:
Och häftigt förſvarade ſigh Hvilket ock viſt var underligh:
Att itt creatur utan ſkiäl Talte ſom een menniſkia väl. &c.

Inter peſtilentiæ cauſſas, hanc quartam adfert auctor:

Then fierde orſaak ſkall man få Hos Malachiam ſkriffven ſtå.
Then Gud ej eller lida kan Utan vill ock ſtraffa förſan.
När man then del vill dölja bort, Hvad thet är litet eller ſtort:
Som Gud fordom hafver befalt At man preſtomen offra ſkall
Och the ſom för altaret ſtå Skola theraf ſin födha få.
Men en part tagha ſig före Till att falſk tiende göre
För hvilket Gudh tå ſägher ſå Förbannelſe ſkola the få.
Af Peſtilentz, hunger och nödh Skola både folck och fää döö.
Then ſom vill ſielf Prophetens Book Läſa, han ſkall väl blifva klook.

Gothus; Vir de patriæ hiſtoria immortaliter meritus,

Och ſå ther flere plågbor ſee, Som Gud vill alla them betee,
Som ej vele båttring göre Och rått tiende framföre.
The frome talas bår ej om En ogudachtig ſe ſin dom. Hæc ille.

Laurentius Jonæ Geſtricius, Paſtor Hernöſandenſis, mortuus 1597. Pſalmos & hymnos ſacros compoſuit varios ab a:o 1591 ad 1597. quos junctim edidit filius Haquinus L. Rhezelius, Paſtor in Thorstuna, Holmiæ 1619. in 8:o; non vero ipſe horum auctor fuit. Cfr. Axelſſon. Diſp. p. 31. Scheff. p. 113 & Stiernm. p. 353. Högmarck p. 177. Ex hujus Pſalmorum libro vel unicum adferre placet verſum, p. 326. ubi mortuus e ſepulcro, vivos alloquitur:

Jag legges i jorden medh en blya omſvept
Min nakna kropp thermed betäckt,
Mitt hufvud ligger ludhit, mijne nåſar äre blåå,
Som J må ſee hår öfver mig ſtå.
J Christne Mån och Dannequinner
Drager vål thenne min ſorg till minne
Thet vill och vara Eder ånda
Ehuru i Edher i verlden vånda.

Chriſtiern. Jvari Ulfſparre, Nobilis, edidit ſententiás nonnullas convivales. Holm. 1620 in 8:o quarum titulus: *Några bordrim höfligit och luſtigt, ſå vål andeligen ſom verldſligen. Stiernm. p. 356.*

Nicolaus Nicolai Holmius, Paſtor Hedſundenſis, ſcripſit Preces & *Pſalmos*, additos quæſtionibus ipſius catecheticis. Upſ. 1650. in 12:o Stiernm. p. 361.

M. Petrus Johan Rudbeckius, Nericius, Phyſices in hac Academia quondam Profeſſor 1605, Theol. Lector Aroſienſ. 1625 & Copingenſium denique Paſtor 1627, mortuus 1629. (Obſ. Auctor Diſſert. πεϱι υμνοποιων, P. 2. p. 85. levi, ſed novo errore, illum vocat Paſtorem Linkopienſem, emendaturus ſcilicet quod in P. I. p. 13. Epiſcopum Aroſienſem illum nominaverit.) Ejus eſt *Cantilena Svecica, ſeu Inſignis Adoleſcentia & inſignis pueritia.* Holmiæ 1624. in 4:o ut taceam Librum Pſalmorum emendatum & auctum, nomine *Enchiridii* ipſius cura prodiiſſe, Aroſiæ 1625 & repetita editione 1627 in 4:o Cfr. Scheffer. p. 132. Stiernm. p. 402. & Bazii Hiſt. Eccl. p. 795.

Ericus N. Biurg, Gothus. Upſ. ſtud. ſcripſit Militiam Chriſtianam, ther år, *Alle Chriſtälſkande männiſkers Ridderlige kamp - - - med enfaldige Svenſke Rim beſkrifven.* Upſ. 1631. in 4:o.

Nicolaus Jonæ Rolander, Smol. V: D. PræcoMilitaris, edidit Informationem, partim proſam, partim ligatam de miſeria & mortalitate

tûs, ſed duriora paſſus fata. Natus is erat 1579 *t*). In tenella ætate patre orbatus, puerque adhuc, Jeſuitarum artibus, clam ex patria abductus, in illorum educatus fuit collegiis, eamque ſibi acquiſivit eruditionem, ut vixdum anno ætatis XXV impleto, Ph. Magiſter Ingolſtadii 1605, & Poëta Cæſareus, Pragæ, eodem anno crearetur *u*). In patriam deinde, poſt ſedecim annos reverſus, Regii Archivi Præfectus primum, deinde Juris in Academia Upſalienſi Profeſſor 1609, mox orta inter illum & Collegas atroci discordia *v*), Holmiam evocatus, Regii Dicaſterii conſtituitur Aſſeſſor 1614. Hinc vero tacitæ, cum Polonis, in damnum patriæ, machinationis accuſatus *x*), Cajanaburgum Oſtrobothniæ *y*) abducitur, qua de re ipſe:

Egoque tentus carcere bis decem
Annis moleſto nomine dogmatis
Paſſus quot ærumnas & uxor
Non memorare volo libenter.

In ergaſtulo hoc ſuo *z*), percelebre opus, quod *Scondiæ Illu-*

hominis. Holm. 1631. in 8:o v. Scheff. p. 145. Stiernm. p. 569. Ejus quoque ſunt: Elegantiſſimi verſus Selecti ex Jubilo S:ti Bernhardi de Nomine JEſu, in Svecanum verſi. Linkop: 1639. ex *Palmſköldianis.*

t) Diſſentiunt quidem auctores de natali anno; Peringſchöld in Monumentis indicat 1581. In concione exſequiali Frosteri ſuper Meſſenium, legitur 1584. at ipſe Meſſenius ſe 1579 natum dicit. Cfr. Schedulam a Nobiliſſ. Stiernmanno adductam in Notis ad Werwingii Hiſtor. Caroli IX. Tom. II. p. 191.

u) Peringſchöldii Monum. T. II. p. 242.

x) De diſſidio Meſſenium inter & Johannem Rudbeckium, reliquosque Profeſſores, Cfr. omnino *Relationem* impreſſam in *Förråd af äldre och Nyere Handl. hörande till Nordiſka Hiſtorien. p. 144. & 210.*

y) Scond. Illuſtr. T. X. p. 41. *y*) In hac quoque arce deinde captivus ſedebat, ſuo tempore non mirus celebris *Laurentius Vivallius*, qui ficto Gyllenſtiernii nomine, miras fraudes commentus eſt, nec a nobis poſthac in hoc poëtarum cenſu omittetur.

z) Ita ipſe in Præfat. T. X. Scondiæ.

Illuſtratæ titulo dein prodiit, conſcripſit *a*), captivusque manſit donec CHRISTINÆ tandem fieret clementia, ut Cajanaburgo Uloam migraret, ibique lautiori ſuppeditato victu, reliqvum ætatis, perexiguum vero erat, in otio exigeret; vitam enim, ſumma obrutam miſeria, 1637 reliquit. Sepulcrali ſaxo in templo Uloenſi inſculptum legitur Epitaphium inficetum, tamque erudito viro omnino indignum:

Här hvila ſig Doctoris Johannis Meſſenii been.
Siälen i Guds rike, rycktet kring hela verden b).

Vituperant quidem in Meſſenio varii varia; at valde probemus tamen ſummam ipſius diligentiam *c*), deque Patriæ hiſtoria bene merendi ſtudium prorſus ſingulare. Cetera ut taceamus, Poëſin quoque ita illum docuiſſe novimus *d*), ut vernaculam haud ſane contemtam, prout illius ferebat ævi habitus, diligenter excoluerit. Academicis licet diſtrictus curis, varias tamen Comœdias Tragœdiasque exaravit, quas publice quoque ab Academica juventute agendas curavit. Produnt hæ ſubinde ingenium auctoris minime inepti, & quamquam a noſtris jam numeris abhorrent, Regum Principumque antiquiorum, non injucundo inſtituto, facinora proponunt

a) l. c. T. X. p. 41. inquit: in his porro ærumnis præſentem „conſcripſi librum, cum reliquis non paucis numero meis opusculis, „quibus indignam plus decoravi patriam, illuſtravique, quam ullus in„ternorum, vel externorum hactenus ſcriptorum fecit, vel inpoſterum „eſt facturus.„ Ambitioſe quidem, ſed non ſine veri ſpecie.

